



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCXXIV. An creati fuerint Angeli ante mundum corporeum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

DISPVT. CCXXIV.

creavit Deus cœlum & terram, exponendum est in principio, id est, in Filio, vel in principio temporis: non autem in principio, id est, antequam nihil fieret, nisi dicatur, antequam nihil in genere corporali fieret creaturarum.

CONCLUSIO est negans, de qua futura nobis est disputatio.

DISPVT. CCXXIV.

An creati fuerint Angeli ante mundum corporeum.

Angelos creatos fuisse initio durationis, ante mundum tamen visibilem, non pauci Patres sentiunt. cap. 1.

Predictam sententiam non posse ex Scriptura aperte demonstrari. cap. 2.

Non fuisse sufficiens aliud fundamentum ut predicta sententia damnaretur. cap. 3.

Verba Concilii Lateranensis non continent damnationem superioris sententia. cap. 4.

Angelos simul duratione cum creatura corporea conditos fuisse fert probabilior opinio. cap. 5.

Diluantur rationes prioris sententia. cap. 6.

CAPVT I.

Angelos creatos fuisse initio durationis ante mundum tamen visibilem, non pauci Patres sentiunt.

Contra Aristoteli quoque philosophos indubitata apud Patres, & Ecclesiam Catholicam fides est, nullam spirituales creaturas ab æterno fuisse: sed initium habuisse suæ durationis: nam Proverb. 8. dicitur, Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, secundum lectionem nostræ vulgatæ: nam Septuaginta pro eo quod est, Antequam quidquam faceret, transtulerunt, ad opera sua, quam lectionem non pauci Latini, & Græci Patres secuti sunt, quos in 3. p. 1. q. 2. allegabimus. Definuit quoque hæc veritas in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur in c. firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica. Ceterum verum aliquo tempore ante creaturam omnem corpoream, an vero simul cum ipsa Angeli fuerint producti, non est apud veteres Patres extra controversiam. Nam multi affirmant, ante mundum visibilem & corporeum fuisse Angelos à Deo productos. In hac sententia fuere ex Græcis Patribus Origen. hom. 4. in Esaiam, in principio, (quamvis in proœmio librorum Perierarchou, in fine existimet, rem esse dubiam) Basil. homil. 1. in Genes. ante medium, & homil. 2. in illa verba: Terra erat inanis & vacua. Nazianz. orat. panegyrica in natale Domini quæ est 38. ante medium §. Sic nimirum & sequenti, quem sequitur Nicetas ibid. Præterea idem Nicetas in orat. 39. Nazianz. quæ est in sancta lumina, in illa verba, At vero nobis, & idem Nazianz. orat. 42. quæ est secunda in Pascha, §. Quoniam autem, ubi repetit quæ dixerat oratione illa 38. sententiam vero Nazianz. verioris existimat. Damasc. lib. 2. de fide, cap. 3. sub finem.

Ex Latinis vero hoc idem docuerunt Hilarius lib. 12. de Trinitate, post medium, Ambrosius in præfat. Psal. 1. & lib. 1. Hexameron, cap. 5. post medium, Hieronym. in epist. ad Titum, in magnis commentariis, qui habentur in 6. tomo in illa verba capitis 1. Quam promissi non mendax Deus. Cassianus collat. 8. cap. 7. qui

Vasquez in 1. p. tom. 2.

CAP. I.

615

non solum existimat, hanc sententiam esse verioris, sed etiam affirmat, neminem fidelium de ea dubitare. Refertur etiam solet in hanc opinionem, author libri de Ecclesiasticis dogmatibus apud Augustin. cap. 10. ibi tamen solum docet, cum tenebræ adhuc ipsam aquam occultarent, quam Deus ex nihilo in terra creauerat, & ipsa aqua terram abscideret, factos esse Angelos, & omnes cœlestes virtutes, ut bonitas Dei non esset otiosa, sed haberet Deus in quibus per multa antespacia bonitatem suam ostenderet. Quibus verbis non significat hic auctor, Angelos fuisse creatos ante omnem corpoream creaturam, cum iam esset terra, & aqua: sed productos fuisse ante lucem, cum adhuc tenebræ essent ante faciem abyssi, & antequam terra luce ipsa visibilis redderetur. Refertur etiam pro hac sententia August. in illud Psal. 89. iniquam montes fecerunt, & id tamen ibi non docet. Demum allegari solet Chrysost. homil. 22. in Genes. sed eo loco solum docet, Angelum peccasse, antequam formaretur primus noster parens.

Hoc tamen sententia favere videntur Gregor. lib. 28. moral. cap. 7. in illud, Cum me laudarent astra matutina, &c. ubi inquit: Prima in tempore condita est natura rationalium spirituum. Adde etiam Isid. lib. 1. de summo bono. 2. sententia 4. qui hoc ipsum sentire videtur: imo etiam addit, demonem prius creatum fuisse, quam bonos Angelos: probat autem ex illo Job 4. Ipsi (scilicet Behemoth) est principium viarum Dei. Nomine autem Behemoth multo demonem intelligunt. Con erit etiam Beda lib. 1. Quæstionum, q. 9. in 8. to. qui verba Isidori refert: ea tamen explicat in hunc modum, ut diabolus dicatur prius creatus, quam bonus Angelus ordine secundum dignitatem nature, non secundum durationem, in quem sensum ipsum etiam Bedam, Isidorum, & Gregorium interpretari possemus in eo, quod docent, Angelum creatum fuisse ante mundum corporeum, ut intelligantur de ordine secundum dignitatem, non secundum durationem: à qua explicatione non abhorret ipse Gregor. lib. 28. moral. cap. 18. cum de diabolo ait, primum conditum fuisse, quia ipsum eminentiorem fecit Deus. Fundamenta vero huius sententia, quæ affirmat, Angelum ante mundum corporeum conditum fuisse, inferius afferemus, & confutabimus.

Ceterum, contra id, quod supra ex communi sensu Patrum præsumimus, videlicet Angelum initio durationis, & non ab æterno conditum fuisse videtur docere Basil. loco superius allegato: inquit enim, Erat quidem vetustior quidam mundi generatione, status supermundanis potentis conveniens, super temporalis, æternus, sempiternus, opificia autem omnium conditor, & opifex perfectus. Quibus verbis sentire videtur, supermundanas substantias, quia potentias vocat, fuisse in æterno seculo ipsis convenienti. Ego tamen sic intelligerem Basilium, ut Angeli fuerint ante motum cœli, quem appellamus tempus: ante tempus autem fuit quoddam intervallum imaginarium, ut ex mente Sæctorum aliquorum explicamus supra dictum, 31. cap. 6. quod concipitur ad modum fluentis. In hoc igitur, inquit Basil. Angelos fuisse, non quia sine initio creati fuerint, sed quia nondum esset tempus, quod in motu corporum est: hoc enim denotavit, cum dixit, esse statum quandam tempore & generatione vetustioris, & super temporalem

Fff 2

ralem

ralem. Fateor quidem, *Aug. in libro imperfecto super Gen. 3.* docere si Angelus fuisset ante mundi corpore creationem, nihilominus futurum in tempore: ipse enim appellat tempus quarumcunque operationum ipsius Angelus successionem: fateatur tamen ingenue, Angelum hoc modo futurum supra tempus nostrum, quod consistit in motu corporis.

CAPVT II.

Prædictam sententiam non posse ex Scriptura aperte damnari.

Recentiores Theologi non modo oppositam sententiam amplectuntur, quæ nobis etiam multo probabilior videtur, sed etiam prædictæ opinioni Patrum, quam superiori capite retulimus, non dubitant temeritatis notam inire: tum, quod omnes Scholastici cum Magistro, & multis Patribus oppositum sequuntur: tum etiam quod testimonij Scripturæ, & Concilij Lateranensis quæ contra ipsam afferuntur, non omnino satisfiat. Ceterum quicquid doctus & prudens modestiam Doctoris Angelici imitari deberet, qui in hoc articulo, non dico, tot antiquis & grauissimis Patribus, sed vni solum Nazianzeno tantum detulit, ut priorem sententiam damnare illo modo ausus non fuerit: quæ sua modestia S. Doctor Theologorum nostri temporis nimiam in iudicando de aliorum sententijs licentiam non leuiter reprehendit. Sunt vero alij etiam Theologi prioribus multo licentiores, qui affirmare audent, sententiam prædictam Nazianzeno Scriptura manifeste confutari, quasi huius Scripturæ S. Th. ignarus fuisset. Alij vero credunt, in Concilio Lateranensi manifeste damnatam. Ceterum, ut Nazianzeno, Hilarij, & tantorum Patrum tueamur auctoritatem, in hoc capite, & sequenti ostendemus, eorum opinionem nec in Scriptura, nec ab Ecclesia damnatam vnquam fuisse: ex quo etiam colligimus, nec temeritatis nomine eam censendam esse. Et quidem hæcenus damnatam non fuisse sententiam Nazianzeno docent *Caietanus in hoc articulo, & Sixtus Senensis loco inferius allegato.*

6. Primum igitur, ex Scriptura probari non posse, Angelos non fuisse conditos ante corpoream creaturam, inductione ostendemus. Tria enim testimonia sunt, quæ videntur contra Nazianzeno posse allegari: ea tamen nihil probant. Primum testimonium est Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram:* dicit enim, in principio, hoc est ante reliqua omnia: quæ antequam cælum & terra crearentur, nihil factum erat. Verum certum non est illud, *In principio*, significare principium ordinis, comparatione omnium creaturarum: sed aliqui censent significare initium temporis, quod in motu corporeo consistit, ac si dicat initio temporis creauit Deus cælum & terram: aut, si denotat antecessorem durationis, non accipi simpliciter respectu omnium creaturarum vniuersarum, sed respectu corporalium, quarum expresse fit mentio in eo cap.

Locus Eccl. 18. elucet. Secundum testimonium est Eccles. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.* Hic vero locus si alicuius momenti est, ut contra Nazianzen. demonstrat, Angelos fuisse conditos cum creatura

ARTIC. III.

corporea, & non antea: probat etiam, omnia corporea elementorum & viuentium simul duratone creata fuisse, ut voluit Augustinus. cuius sententia in hac re ab omnibus communiter reijcitur: quare omnes debemus hunc locum interpretari, ut non probet, omnia corpora, nec Angelos cum corporibus omnibus simul duratione productos. Varie autem prædictum testimonium Doctores intelligunt. *Gregor. 3. 2. lib. moralium, 4. q. 10. explicans illud Iob 40. cap. Behemoth, quem sua tercum, &c.* his verbis exponit prædictum locum Ecclesiastici: *Cum simul cælum & terra deficerent, simul spiritualia, & corporalia, simul quidquid de terra creatur, simul factum quidquid de terra produci iudicatur.* Propterea ergo dicitur fuisse Deum omnia simul creauit omnia, quæ deinde facta sunt, ex duobus factis sunt. Illam igitur particulam, *simul*, refert Gregorius ad corporea, & spiritualia: sed ad ea, quæ postea per propagationem facta sunt: illa enim simul in sua causa facta esse dicuntur. Acta enim deinde de cælo facta sunt: viuentia vero ex aquis, & ex terra, ut constat Genes. 1. quam interpretationem sequutus est S. Thomas in hac 1. part. q. 74. art. 2. ad 2.

Ego vero existimo, vno ex duobus alijs modis explicari etiam posse prædictum locum, ita ut ex illo nihil contra Nazianzenum probetur: primum quidem ut dicantur omnia simul creata, quibus vltimo tempore producta fuerunt. Quæ ratione Genes. 2. dicitur: *Haec sunt generationes cæli, & terre, quando creata sunt in die, quæ fuit Deus cælum, & terram.* ubi particula, *in die*, ponitur pro, in diebus, propter breue temporis intervallum. Et Marti 10. *Ab initio creatura masculinum, & feminam iuxta Dei verbum:* cum tamen non statim in principio ipso mundi indiuiduo, sed paulo post, ut constat ex Genes. 1. sexto enim die primi nostri parentes creantur. Et Ioan. 8. *Ille* (scilicet diabolus) *hominem non ab initio:* cum tamen non statim ab ipso momento principij mundi homicida fuerit, vel decipiens nostros parentes, vel suadens homicidium Abelis fratri suo Caino.

Iuxta hanc interpretationem posset aliquis dicere, ex eo loco non satis probari spiritus Angelicos cum creatura corporali fuisse productos: sed paulo ante Angelos creatos fuisse. Ceterum quia multi ex Sanctis Patribus allegati pro præcedenti sententia non solum dicuntur, non fuisse Angelos simul cum creatura corporea creatos, sed multo ante tempore productos: non sufficeret prædicta interpretatio, ut eorum sententiam à nota erroris tueremur.

Deinde prædictum locum Ecclesiastici alio commodiori modo possumus explicare, ita ut particula *simul*, non referatur ad durationem temporis, nec denotet, eodem tempore omnia fuisse à Deo producta, sed significet, idem quod, *pariter seu communiter*: quo pacto significat tantorum collectionem. Hoc autem modo sententia erit: *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul:* hoc est pariter omnia creauit, nullare, præter ipsum, exceptum & aduerbium Græcum *συν* quod molter religio transulit, *simul*, hoc significat. Quoniam latinum aduerbium, *simul*, in Scriptura ipsa & vulgata editione in hoc sensu etiam viurpatur. Psal. 12. *Omnes declinauerunt, simul inuiles facti sunt.* Psal. 48. *Simul insipientes, & stulti peribunt.*

Postremo posset aliquis eundem locum interpretari

Reportat. prelati in *Reporto* libr. 2. in *Genes. cap. 35.* hoc modo, creavit omnes res simul non in propriis ipsarum naturis, sed in suam sapientia, ut deinde illas omnes extra produceret. Quia Deus prius habet in mente sua omnia, quæ facturus erat, quam illa extra se ipsum produceret. Ex quibus interpretationibus proximè præcedens mihi magis probatur. Tertium testimonium contra sententiam Nazianz. esse posset illud ad Hebræos 1. Omnes (scilicet Angeli) sunt administratores spiritus, in ministerium missi, &c. quo videtur Theodor. loco inferius allegando, ut probet, Angelos fuisse eodem temporis momento cum mundo visibili productos. Nam si antea producti fuissent, non essent administratores spiritus missi in ministerium corporalis creaturæ: quia fuissent antequam esset corporalis creatura cui possent ministrare. Verum testimonium hoc infirmum est: nam quævis Angeli constituti fuerint administratores spiritus nostræ salutis postquam homo conditus fuit: tamen non necesse fuit, hoc ministerium semper illis fuisse demandatum; præsertim cum hoc Angelo non conveniat natura sua, sed manere & officio: nec hominis gratia conditus fuerit, sed tantum postquam conditus fuit, ad hoc ministerium fuerit deputatus. Ex quibus colligere licet, nullum esse Scripturæ testimonium, quo possint Patres prædictæ sententiæ convinci: id quod Epiphanius, qui oppositam sententiam sequutus est, notavit, cum dixit, nusquam Scripturam clare indicare tempus creationis Angelorum.

CAPUT III.

Non fuisse sufficiens aliud fundamentum ut prædicta sententia damnaretur.

Ferrat. EX Scholasticis Doctoribus Ferrar. 2. contra gent. cap. 83. §. Sed circa hoc quod ultimo, arbitrat, prædictam opinionem patrum damnatam esse, & oppositam plane definitam in Conc. Later. sub Innoc. III. & refertur in ea. Firmus, de summa Trinitate & fide Catholica, ubi sic dicitur. Creator omnium visibilium, & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit spirituales, & corporales, angelicam videlicet, & mundanam. Quocirca existimat Ferrar. prædictam Patrum sententiam sine peccato hæresis defendi non posse post hanc concilij definitionem. Ferrariensi vero consentiunt nonnulli recentiores Thomistæ, quos, ut supra dixi, non levis reprehendit modestia Sancti Thomæ, quæ de prædicta patrum opinione sententiam tulit, cum aperte pronunciet, illam non esse erroneam. Verum Ferrariensis sic interpretatur Doctorem Sanctum, ut dicat illam opinionem erroneam non esse directe, sed indirecte. Appellat autem erroneam directe id, quod est contra ea, quæ plane revelata sunt nobis in Scriptura tanquam articuli fidei: indirecte vero, quod non est contra aliquid reuelatum tanquam articulum fidei: ex illo tamen sequitur aliquid contra fidem, & Scripturam: quod quidem post Ecclesiæ determinationem sine peccato hæresis defendi non potest. Quare nec prædicta sententia patrum potuit defendi sine hæresi, postquam in Concilio Lateranensi opposita definita fuit. Hæc tamen interpretatio manifeste pugnat cum verbis Sancti Thomæ, in hoc articulo. Inquit enim, Quævis contrarium non sit erroneum, *Vasquez in 1. p. tom. 2.*

precipue propter auctoritatem Nazianz. cuius tanta est auctoritas, ut nullus unquam eius dicta calumniam inferre præsumptum, sicut neque Athanasij, ut Hieronymus inquit. Quod si horum patrum sententia erroris nota clarescere esset: etiam si iudicanda esset erronea non directe, aliquam notam incurrere possemus Nazianz. quæ tamen Doctor angelicus ab omni vindicare contendit. Adde etiam quod cum aliquid definitum est ab Ecclesia: etiam si in Scriptura non aperte continetur, dici debet erroneum directe: quia est contra sensum Ecclesiæ expressum, cui contradicere hæresis manifesta est: prædicta igitur sententia tempore etiam Sancti Thomæ, iam esse directe erronea, & hæretica. Ceterum in prædicto Concilio Lateran. non fuisse definitum de fide aliquid contra opinionem Nazianz. ostendo.

Ut concilium definiret hanc veritatem, nisi deberet aut Scriptura, aut traditione, aut ratione ex principiis fidei deducta: nullo autem horum nisi potuit. Primo non Scriptura, ut superiori capite probatum est. Secundo non traditione: nam Ecclesiæ traditio apud Doctores, & partes Ecclesiæ tunc conservatur, quando communis consensus illorum ut certum fidei dogma aliquid docet: in hac vero controuersia patres Ecclesiæ communiter non consentiunt, imo inter se diuisi sunt nec enim pauciores, nec minus graues priorem sententiam sequuntur, quam oppositam: ubi ergo hanc Ecclesiæ traditionem conservatam agnouit Ecclesia: præsertim cum Cas. loc. alleg. in 1. cap. dicat, nullum fidelium dubitare, Angelos ante mundum & creaturam corporalem conditos fuisse. Quinimo Aug. qui opinatur, duratione simul cum corporea creatura Angelos fuisse creatos, fatetur rem hanc esse incertam lib. de Lucan. verbi c. 6. si tamen hic liber est Aug. & in imperfecto super Gen. c. 3. dicit, coniecturis impenetrabilis esse lib. autem 1. de ciuitate cap. 32. de illorum patrum agens opinione, qui dixerunt per multa secula ante corpoream creaturam Angelos conditos fuisse, tandem concludit in hæc verba: Proinde ut vult unusquisque accipiat: quod ita presudum est, ut ad exercitationem legentium a fidei regula non aberrantes plures possint generare sententias, dum tamen Angelos Sanctos Deo non coeternos nemo ambigat. Theodor. etiam, qui cum Augustino sensit, fuisse productos Angelos si nul duratione cum corporea creatura quæst. 3. in Genes. subiungit, Concesso, Angelos habuisse initium, si quis dixerit, ante fuisse, non offendet verbum pietatis. Denique Hugo de Sancti Victore, qui eandem, cum his patribus sequitur opinionem, de ea inquit, Sed nos interim magis approbamus quod dictum est pro capri intelligentia nostra, salua reuerentia secretorum, in quibus nihil temere asserendum est. Restat igitur, nullum fuisse concilio si firmum fundamentum diuine traditionis, ut definiret, Angelum ante mundum corporeum non fuisse creatum, quando Patres, qui ita docuerunt, non ut certam sententiam, sed ut probabilem tantum, eam tradiderunt. Tertio denique nullam fuisse concilio eundem rationem, ut prædictam sententiam Nazianz. damnaret, manifestum est: quando nec in scriptura, nec in traditione firmum fundamentum habere potuit. Quæ enim ratio Theologica sine his principiis certa esse potest? Ratio vero naturalis & philosophica in hac controuersia nulla.

Fff 3

lam

*Quibus fæ-
nomena
aliquid de-
finiri possit.*

Angust.

Theod.

Hugo.

44. lam partem demonstrare potest: cum non ex natura rerum, sed ex Dei sola voluntate pendeat, tali, aut tali puncto temporis Angelos produci: Dei autem voluntatem nulla ratione inuestigare possumus nisi ex iis, quæ facta videmus: cum igitur non constet: utrum Angeli simul duratione cum creatura corporea, aut multo ante producti fuerint: nihil de voluntate Dei circa punctum productionis ipsum ex ipsis rebus intelligere possumus.

CAPVT IV.

Verba Conc. Later. non continent damnationem superioris sententia.

45. Tameris concederemus Ecclesiam potuisse tanquam certum contra prædictos Patres definire, Angelos simul tempore cum creatura corporea fuisse productos: sed ad hoc optimum ac firmum fundamentum habuisse: nihilominus verbis concilij id non fuisse definitum, graues Theologi nostri temporis cum Caiet. in hoc artic. 46. *Caietan. Sixt. Senes.* Et Sixto Sen. lib. 5. Bibliotheca sancta, annotat. 5. non immerito arbitrantur. Vt autem verba concilij cap. præced. citata, quibus videbatur hæc sententia contra Nazianz. definita, Caiet. interpretetur, notat, non tam verba ipsa concilij, quem mentem illius attendendam esse: mens autem concilij fuit errorem Origenis damnare, qui dicebat, Deum à principio solum creaturas spirituales fecisse: postea vero, quibusdam illarum peccantibus, corpora creasse, ut in illa tanquam in ergastulum eas immitteret, & ibi puniret: & hac occasione omnem creaturam corpoream creasse, quæ secundum se bona non est, nec alias, nisi ex occasione prædicta crearetur. Hunc autem errorem damnatum fuisse in concilio expresse assert. S. Th. in opus. 23. ante med. Ex quo infert Caietan. hoc modo: quamuis Decretalis illa utrumque verbis suis complectatur, & quod tam spiritualis creatura quam corporea vnaquæque per se, & non occasione alterius producta fuerit à Deo, & quod simul duratione in initio temporis corporea cum spirituali condita fuerit: tamen illud prius, tantum ut certum contra Orig. definit. Verum S. Thom. in eo opus. solum asserit, ita illa decretali Concil. Lat. damnari errorem illum Orig. at vero utrum verba concilij debeant intelligi solum in eo sensu, ut error Origen. damnetur: an etiam ut definiatur, utramque creaturam simul duratione fuisse productam, S. Th. non docet: cumque explicans in eo opusculo illam decretalem nihil dicat de productione Angelorum cum creatura corporea: manifeste indicauit, in ea nihil de hac re definitum esse. Adde quod cum in hoc articulo aperte dicat, nihil contra opinionem Nazianz. ab Ecclesia fuisse declaratum: de mente S. Thom. in hac re non licet ambigere. Constat etiam ex illo opusculo, absque fundamento aliquos Thomistas, ut refert Caiet. dixisse, ideo S. Th. in hoc art. existimasse nihil contra Nazianz. Ecclesiam decreuisse, quia illius decreti Concilij Lat. notitiam non habuit: siquidem decretum illud ex professo explicauit in illo opus. 23. dicunt tamen Thomistæ illi, prædictum opusculum non esse doctoris Angelici, & in hanc sententiam consentire videtur Ferrar. loco citat. Ceterum quamuis opusculum illud non esset S. Th. decretum Concilij Lat. ignorat ipse non potuit: tum quia concilium illud ante tempora

ARTIC. III.

ipsius S. Thom. celebratum est: tum etiam quia & decretales Epistolæ temporis ipsius tam conciliorum erant.

Hanc interpretationem Caiet. & Saxi Senes. quam adhibuit verbis concilij primum nonnulli ex eo impugnant, quod ille error Origen. iamdudum erat ab Ecclesia damnatus: ergo non fuit iterum in concilio illo aliquid contra Origenem definitum. Deinde quia concilium illud non fuit congregatum contra errores Origenis, sed contra Ioachim Abbatem, & Almericum male de Trinitate sentientes. Hæc tamen rationes contra Caiet. interpretationem parum roboris habent. Nam quamquam concilium illud congregatum non fuerit contra errores Origenis, sed Ioachim & Almerici, potuit tamen obiter damnari error Origenis: cum multa etiam alia definitum in 2. cap. illius Concilij, ubi ponitur symbolum fidei, antequam in 2. cap. error Ioach. & Almerici damnetur. In primo enim cap. multa de sacramentis præmittuntur, ad quorum definitionem concilium congregatum non fuerat. Ponit igitur concilium & errorem Origenis obiter damnare, ut ita integrum fidei symbolum præmitteret. Præterea quod ille error Origenis damnatus fuisse in concilio 5. Constantinopolitano, cuius canon. 17. refert Niceph. lib. 17. hist. ca. 23. nihil obstat, quo minus iterum in prædicto Concilio Later. damnaretur. Nam & in Concil. Trid. sess. 21. & 2. canone, confutantur aliqua Pelagij dogmata iam diu in Conciliis Mileuitano, & Alciense damnata. Ego quidem existimo, errorem illum Origenis non fuisse damnatum in Concilio Later. in qua re à Caiet. disentione fuisse in eo definitum, Angelos simul duratione temporis cum creatura corporea creatos esse, in quo cum eodem Caiet. conuenio: alia tamen ratione in hanc sententiam adducor: nam si cum Caietano sententiam concederemus, verbis ipsis concilij plane contineri definitionem hanc, quam aduersarij contumaciter frustra de alia intentione concilij damnatumus: ut enim supra dicebamus, quamuis ad id non fuisset concilium congregatum, si tamen verbis id semel definitum, non liceret de veritate talis definitionis ambigere. Quod si particula illa simul, qua vtitur Concilium Later. in illa definitione, denotaret temporis durationem, & proinde Angelos simul duratione cum creatura corporea fuisse creatos, non possemus non asserere, id fuisse à Pontifice tanquam certum fidei dogma definitum: præmittit enim in principio cap. Famula existimus, & simpliciter consistimus, & sub hac forma subiungit, Deum utramque de nihilo simul condidisse creaturam: ex qua forma plane colligitur, fuisse dogma illud à concilio definitum. Existimo igitur, concilium non definisse, Angelos simul duratione cum creatura corporea conditos fuisse: nam particula, simul, quæ hoc significare videbatur, non semper refertur ad durationem, sed aliquando significat idem, quod, pariter, ut cap. 2. notauimus. Possumus igitur interpretari mentem & verba concilij, sicut cap. 2. explicauimus illud Eccles. 18. Creauit omnia simul. Hæc autem interpretatio ex eo mihi maxime probatur, quia nihil omnino referebat ad symbolum illud fidei, quod concilij præmittere volebat: tunc nouiter definitum utramque creaturam simul duratione à Deo fuisse productam: utramque vero pariter à Deo fuisse

creata, plurimum intererat ad explicandum articulum Dei omnipotentis, & Creatoris. Cumque nullum fuerit concilio firmum fundamentum ad definiendum, simul tempore omnia fuisse creata: ut cap. 3. ostensum est: non debemus existimare, id voluisse concilium definire. Quocirca consulto dixit concilium, *Simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam*: non tamen dixit, simul tempore ut definiret, utramque pariter creaturam habuisse initium suae durationis, quamvis non simul eodem temporis puncto. Eodem sensu explicabimus inf. cap. ult. in solut. 4. rationis particulam, *recum*, in illo Job 40. *Ece Behemoth, quem feci tecum*. Quae sane particula idem quod simul duratione significare videbatur.

At dicat aliquis, tempus incepit cum motu corporae creaturae, & Angelus incepit ab initio temporis: hac enim ratione inquit Aug. 11. de ciuit. Dei cap. 6. ante mundum non fuisse tempus, quia nulla erat creatura, cuius moribus tempus ageretur: quem sequuntur Hug. de S. Vi. & Magister seq. cap. allegandi: ergo Angelus in eodem temporis momento cum creatura corporea incepit. Respondeo, initium temporis non usurpari concilio pro initio illius, quod communiter tempus appellamus, quod est in motu corporis caelestis, quodque pro mensura aliarum motuum & durationum nobis est: sed sumptum pro initio cuiuscumque durationis, etiam permanentis, qualis est duratio substantiae Angeli: qua ratione etiam si nulla creatura corporea creata esset, possemus dicere, Angelum non ab aeterno, sed initio durationis conditum fuisse, si post non esse creatus esset, perinde igitur est, creati ab initio temporis, & non ab aeterno creati. Hoc autem definire, necessarium videbatur, ut articulus creationis exacte explicaretur.

CAPUT V.

Angelos simul duratione cum creatura corporea conditos fuisse, probabilior opinio fuit.

Probabilior multo sententia est eorum, qui affirmant, Angelos simul duratione cum creatura corporea creatos fuisse: tamen, ut ex superioribus constat, opposita sententia nec erroris, nec temeritatis infirmari debeat. Hanc docuit primum ex Patribus Latinis Aug. lib. 11. de ciuit. Dei cap. 6. & 9. & 22. contra Faustum c. 1. & 2. lib. de Genesi ad lit. cap. 7. & 8. quamvis in lib. de Incarnat. verbi cap. 6. dicat incertum esse quando fiat Angeli creati: si tamen hic liber est Augustini. Et lib. imperfecto super Genes. cap. 3. rem hanc secretissimam appellat, & humanis coelestibus impenetrabilem. Id etiam tradiderunt Beda in Hexam. parum post initium in 4. tom. Hugo de S. Victor lib. 1. de sacramentis part. 5. c. 3. & 4. & Rupert lib. 1. in Genes. c. 10. & 11. refertur etiam Greg. Mag. lib. 32. moralium cap. 9. alias 10. ubi inquit, simul ut caelum, & terra dicuntur facta, intelligi corporea & spiritalia. Deinde ex Graecis Patribus consentiunt Epiph. haeresi 65. ante medium, & Theodor. qu. 3. in Genes. postremo Scholastici cum Magistro in 2. dist. 2. quos sigillatim referre opus non est. Idem etiam sentit S. Thom. cum Caietan. aliisque Thomistis in hoc articulo. Quae sane sententia cum neque Scriptura nec traditione, nec Ecclesiae decreto plane definita sit, ut supra monstrauimus, restat, ut hac sola ratione probabiliori a nobis confirmetur.

Si Angeli boni, & mali ante mundum corporeum creati sunt: aut multis ante seculis, aut paruo ante spatio creati sunt. Si multis ante seculis, ut expresse docuerunt ex patribus prioris sententiae Hieronymus, & Cassianus, quibus Basilus consentire videtur: aut peccarunt antequam fieret mundus corporeus, aut postquam factus est. Dicit autem non potest peccasse antequam mundus corporeus crearetur: quia statim atque Angelus peccauit, Michael & Angeli eius praebantur cum Lucifero in caelo, ex quo Lucifer & Angeli eius eieci sunt in infernum, ut communis patrum opinio fert, Chrysost. homi. 3. de verbis Isaie, post medium, & hom. 15. in Ioan. circa finem, Nazianz. orat. 39. quae est in sancta lumina, parum ab initio, Aug. in illud Psalm. 103. Draco iste, & c. Isidori lib. 1. de summo bono c. 12. sententia 7. id quod nonnulli confirmant ex illo Apocal. 12. Factum est primum magnum in caelo, & c. (inde tamen id probari non posse videbimus in sequenti disp. cap. 2. Deinde id ipsum probatur, quia Angelis peccatis paratus fuit ignis aeternus Matth. 25. *Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius*, & 2. Petri cap. 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed reudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, & c. & Iudas in sua can. de Angelis peccantibus inquit eisdem non peperisse, sed in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine seruasse: ergo statim ac peccauerunt, ignis aeternus corporeus in inferno ipsis destinatus est, ac proinde non peccauerunt, antequam corporea creatura condita esset. Neque peccarunt post corporalem creaturam productam, si multis ante saeculis creati sunt: quia ex opposito sequeretur per multa secula Angelos malos in gratia Dei perseuerasse: id quod credibile non est: magis enim rationi consentaneum videtur, viam Angelorum breuiori spatio finire, quam hominum: cum Angeli promptiores sint suapte natura in operatione & electione, quam homines. Si autem dicatur, Angelos productos fuisse paulo ante corpoream creaturam: absque fundamento id diceretur: cur enim paulo ante crearentur, qui cum vniuerso corporeo creati posset: vel qua ratione id suaderi poterit probabilius igitur, magisque rationi consentaneum videtur alserere Angelos non ante creaturam corpoream, sed simul duratione cum illa fuisse productos.

CAPUT VI.

Diluuntur rationes prioris sententiae.

Reliquum est ut rationes, quibus nititur prior sententia, diluantur. prima ratio sit, qua videtur Cassianus loco citato, in hunc modum: non est credendum, Deum tot seculis ante creationem corporeae creaturae fuisse otiosum: ergo asserere debemus, Deum suam bonitatem communicasse spiritalibus creaturis antequam corporeas creaturas produceret. Hanc rationem fictilem & inanem esse censet Theod. quae. illa 3. in Gen. nam si alicuius momenti esset, probaret vti- que, Angelos ab aeterno productos fuisse a Deo, ne per aeternam durationem Deus esset otiosus. Nam quomodocumque spiritus creasset ab initio, etiam si ante corpoream creaturam illos produxisset, sequeretur, per aeternam durationem ante illorum productionem Deum otiosum fuisse: hoc autem nemo Catholicorum existima-

bit absurdum: imo secundum fidem Catholicam necessario consistendum: cum certum sit, Deum nihil ab æterno creasse.

Aug.

Hoc eodem Cassiani argumento utebantur nonnulli, ut refert *Aug. lib. 11. de ciuit. Dei cap. 5.* ad probandum, mundum fuisse ab æterno productum. Respondet autem August. primum eo nihil probari: nam si quidquam probaret, eadem ratione sequeretur, infinitos mundos à Deo fuisse productos, ut dicebat Epicurus, ne Deus esset otiosus per infinita illa spatia imaginaria: quod quia ratione inferat August. explicuimus supra disp. 29. cap. 4.

24.

Deinde Respondet, Deo nihil perfectionis aduenire ex eo, quod extra se aliquid operetur: & contra, etiam nihil deesse perfectionis ex eo quod nihil operetur, ac proinde parum referre, per infinita sæcula extra se nihil produxisse.

2. ratio dissoluitur.

Secunda ratio sit: si Angeli creati essent cum mundo corporeo, creationis illorum mentionem aliquam fecisset Moyses: atqui nullam mentionem illorum fecit, cum de creatione mundi corporei loqueretur: signum igitur est, non fuisse cum mundo corporeo creatos. Angustinus locis citatis in hac disputatione, & supra disputatione 31. & *Beda in Hexameron* existimant, creationem Angelorum non fuisse à Moyse prætermisam: sed eam significasse nobis nomine lucis. Hæc tamen sententia communiter reicitur, & merito quidem: quia cum Scriptura Moysis fuerit historica narratio, verba illius, surpanda sunt in comuni, & vulgata significatione, non in metaphorica: quapropter & Doctores communiter lucis nomine non Angelos, sed lumen corporale intelligunt. August. autem hoc sensu Scripturam intellexit, ut defenderet, vno die creata fuisse omnia: dies autem qui numerantur Gen. primo distingui tantum secundum lucem angelicæ intelligentiæ, quæ quidem opinio merito ab omnibus exploditur.

25.

Cuius Moyse prætermisam fuerit creationem Angelorum, Athanasius Theodor.

Alij veropopulant, prætermisam fuisse à Moyse Angelorum creationem, ne populus ille ad idolatriam nimium propensus Angelos tanquam Deos adoraret: ita dixit *Athanasius in quest. 2. & Theodor. qu. 1. in Genes.* quorum sententia mihi ideo non probatur, quia eadem ratione debuisset Moyses nunquam Angelorum mentionem facere: atqui sæpius de ipsis loquitur, in *Genes. Exodo*, & alijs libris, ergo illa ratione creationem eorum non prætermisit.

Perior expositio.

Hieron.

Quare ego verius existimo, ideo Moysem creationis Angelorum non meminisse, quia sui instituti ratio id non postulabat. ut enim scribit *Hieronymus epist. 139.* solum voluit Moyses ordinem creationis rerum corporalium describere: aut, ut quidam putant quia populus ille rudis erat; aut quod verius est, quia solum in rebus corporeis creandis fuit series, & varietas dierum, quæ explicatione indigebat: Angelos vero fuisse à Deo productos, satis constabat.

Basilij tertio rationi.

Tertia ratio est Cassiani sumpta ex libro *Iob 38. cap.* vbi Dominus ad *Iob* inquit, vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ, &c. & paulo post, Quando me laudauerunt simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei? Quem locum secundum translationem septuaginta, sic legit *Cass.* Quando facta sunt simul sydera, laudauerunt me voce magna omnes boni angeli mei. Qui a dicuntur interesse ali-

3. locus Iob exponitur.

ARTIC. III.

cuius rei productioni, & ex illa factorem laudant, videntur fuisse ante rem illam, ergo angeli qui ex illa laudauerunt, ipsorum aliorum creationem præcelsent.

Respondet primum, secundum eorum vulgaris editionem, quæ merito ab omnibus recipienda est: vti authenticæ, nihil ex illo loco probat: nostra autem vulgata ipsi contextui & Hieronymi lectioni magis congruit. Deinde etiam admittimus lectionem septuaginta, respondet optime Theodoretus, eos qui ex illo loco arguuntur, non recte considerasse, alia non fuisse primo die creata, sed quarto, ut manifeste colligitur ex 1. cap. *Genes.* ac proinde potuisse Angelos aliorum creationi optime adesse, etiam ante creationem omnem corpoream creati non fuissent. Adde etiam quod licet alia primo die facta fuissent, non inepte dici possit, Angelos eorum creationi antisse, & de ea dominum & factorem laudasse, nam & ipsi Angeli de sua ipsorum creatione in ipso primo momento sui Deum laudauerunt, eique gratias reddiderunt. Id vero quod in 1. cap. adduximus ex auctore libri de ecclesiasticis dogmatibus apud August. ca. 10. nempe Angelum multis sæculis ante lucem corpoream creatum fuisse, falsum est: nam cum probatum sit, Angelum simul datatione cum mundo corporeo creatum esse: sequeretur, multis se, nisi lucem mundum fuisse, quod est absurdum.

Quarto arguere aliquis potest, proposita sententia ex *Iob 40. c.* vbi de Behemoth dicitur, ipse est principium viarum Dei, per Behemoth autem intelligitur diabolus. Respondet, etiam si per Behemoth figurate intelligatur daemon: sententia primario, & literaliter significatur Eliphas, aut animal aliud terreste ex genere Draconum, ut nonnulli arbitrantur: sicut *Leuiticus* significat aut cete maris, aut genus aliquid pium. De illo autem animali ut recte exponit *Ezechielus*, ipse recte dicitur, principium viarum Dei, hoc est operum Dei, & adinuentio: um ipsius, non qui ordine durationis reliqua Dei opera antecedit, ut manifeste constat, sed quia altitudo corporis, magnitudine, & fortitudine reliquis bruiis animalibus antecellit: quo sensu *Iacobus 1. dicitur* Voluntarie enim genuit nos verbo vanitatis, ut finem initium aliquod creatura eius: initium Græce est ἀρχή, quod significat imitationem, humilitatem, & primitias: idem significare potest vox ἀρχή idem enim est quod principatus, magnitudo, quæ vox est apud *Iob*, loco cit. nam primitiæ sunt optimum ipsius rei, & principatum tenent inter reliqua. Hoc eodem modo explicabimus, illud *Proverb. 8. Dominus creauit me initium viarum suarum*, 3. p. q. 1. art. 3. vbi 70. veniunt dicere & per. Si autem de demone intelligatur: quod solum per figuram accipiendum est: eodem modo intelligi debet de ordine, non durationis, sed dignitatis, ut constat ex *Beda*, & *Isidoro*, quos citauimus, quorum sententiam indicauit *Greg. lib. 3. 2. moralium cap. 18. alius 24.* Quod vero in eodem cap. 40. *Iob* dicitur, Ecce Behemoth, quem scio necum, non denotat, Behemoth simul duratione cum *Iob*, aut cum homine fuisse productum, sed particula, tecum: idem significat quod, parum, ut collectionem rerum, sicut supra de particula simul cap. 4. notauimus.

Quintus

23. *Quam* (scilicet beatam spem) promissit Deus ante tempora secularia: nam si talis promissio facta est ante tempora hæc secularia, quæ ab initio mundi numerantur (ætas enim mundi sæculum dicitur, ut obleruui disputatione 33. cap. 1.) alicui creaturæ fieri debuit: nulla autem alia videretur fuisse, quam Angelus: ergo Angelus creatus fuit ante hæc tempora secularia. Respondeo ut dixi in ea disp. verbum illud, promissit, non significare promissionem aliquam verbo factam, sed æternam Dei prædestinationem, ut notat Chrys. & Anselm. in eum locum, & Aug. 12. de ciuit. cap. 16. quæa vero ratione dicat Paulus, *Ante tempora secularia*: in eadem disp. explicatum est.

ARTICVLVS IV.

Utrum Angeli sint creati in celo Empyreo.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod angeli non sint creati in celo Empyreo, angeli enim sunt substantiæ incorporeæ. Sed substantia incorporea non dependet à corpore secundum suum esse: & per consequens neque secundum suum fieri. Ergo angeli non sunt creati in loco corporeo.

2. Præterea. August. dicit 3. super Genes. ad litt. quod angeli fuerunt creati in superiori parte aeris. Non ergo in celo Empyreo.

3. Præterea. Cælum Empyreum dicitur esse cælum supremum. Si igitur angeli creati fuissent in celo Empyreo, non conuenisset eis in superius cælum ascendere. Quod est contra id quod ex persona angeli peccantis dicitur, Isai. 14. Ascendam cælum.

Sed contra est quod Strabus dicit super illud, In principio creauit Deus cælum & terram. Cælum non visibile firmamentum hic appellat, sed Empyreum, id est, igneum vel intellectualem, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur. Quod statim factum, Angelis est repletum.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, ex creaturis corporalibus, & spiritualibus vnum vniuersum constituitur. Vnde sic creatæ sunt spirituales creaturæ, quod ad creaturam corporalem aliquem ordinem habent, & toti creaturæ corporali præfident. Vnde conueniens fuit, quod angeli in supremo corpore crearentur tanquam toti naturæ corporeæ præfidentes, siue id dicatur cælum Empyreum, siue qualitercunque nominetur. Vnde Isidor. dicit, quod supremum cælum est cælum angelorum, super illud Deuteron. 8. capite, Domini Dei tui est cælum, & cælum celi.

Ad primum ergo dicendum, quod angeli non sunt creati in loco corporeo,

quasi dependentes à corpore secundum suum esse, vel secundum suum fieri. Potuisset enim Deus angelos ante totam creaturam corporalem creasse, ut multi sancti doctores tenent. Sed facti sunt in loco corporeo ad ostendendum ordinem eorum ad naturam corpoream, & quod sua virtute corporea contingunt.

Ad secundum dicendum, quod August. forte per supremam partem aeris intelligat supremam partem celi: cum quo aer quandam conuenientiam habet propter suam subtilitatem, & diaphaneitatem. Vel loquitur non de omnibus angelis, sed de illis qui peccauerunt. Qui secundum quosdam fuerunt de inferioribus ordinibus. Nihil autem prohibet dicere quod superiores angeli habentes virtutem eleuatam & vniuersalem supra omnia corpora, sint in supremo creaturæ corpore creati. Alij vero habentes virtutes magis particulares sint creati in inferioribus corporibus.

Ad tertium dicendum, quod loquitur ibi non de celo aliquo corporeo, sed de celo sanctæ Trinitatis: In quod angelus peccans ascendere voluit, dum voluit aliquo modo æquiparari, ut infra patebit.

Conclvsto est, Angeli creati sunt in celo Empyreo.

DISPUT. CCXXV.

An fuerint angeli creati in celo Empyreo.

Varie opiniones, cap. 1.

Certum non est, sed probabile tantum, Angelos in celo fuisse creatos, cap. 2.

CAPVT I.

Varie opiniones.

Commutis est Scholasticorum sententia cum Magistro in 2. dist. 1. Angelos in celo Empyreo creatos fuisse: quam acceperunt ex Bed. 4. tom. in lib. Hexameron non longe à principio. & Hugone de San. Reda. Victore in summa sententiarum tractatu 2. cap. 1. eam que tradidit Glossa ordinaria in priora verba Genes. Glossa. Quorum opinio confirmari solet ex eo, quod Lucifer, & Angeli eius de celo ceciderunt, iuxta illud Luc. 10. Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem, quem locum aliqui intelligunt de casu dæmonis de celo, quando primo peccauit. Orig. Ogenes. lib. 1. Periarth. cap. 5. Ambrosius libro de suis saculi cap. 7. Ambros. ante medium, Chrysost. Hom. 10. de penitentia in 5. Chrysost. tomo ante medium, Gregorius 23. Moralium capite 6. Greg. Mag. alias 7. Theod. lib. 5. haretic. fabular. capite de diabolo. Theod. Prosper libr. de diuidio temporis capite 7. Bernardus sermone secund. ad fratres. & Theophylact. in eum locum, Theoph. tametsi aliam etiam adhibeat interpretationem, quam infra referemus: hunc igitur sensum secutus Gregorius, prædictum locum exponit hoc modo, cum videret Christus discipulos suos (qui missi fuerant prædicti potestate eiiciendi dæmonia) cum gaudio redire dicentes, etiam dæmonia subiungunt nobis in nomine tuo: ut exemplo Luciferi.